

quid de sua substantia et suppellectile esset ordinandum, respondit, quod omnia, que iam dudum videbatur possidere, erant pauperum, et rogavit me, quod omnia ipsis distribuerem preter vilem tunicam, qua ipsa induta fuit, in qua ipsa vellet sepeliri. His peractis circa horam primam accepit corpus domini et postea usque ad horam vespertinam frequenter  
 5 loquebatur de optimis, que audierat in predicatione, et maxime de suscitatione Lazari et quo modo dominus flevit super eius suscitatione. Et dum propter hec verba quidam religiosi et religiose ad fletum excitarentur, dixit: Filie Iherusalem, nolite flere super me, sed super vos flete. Hoc dicto subticuit, et voces suavissime sine omni motu labiorum in eius gutture audiebantur. Et dum circumsedentes ab ea quererent, quid hoc esset,  
 10 quesivit ab eis, sine audivissent cum ea aliquos cantantes. Post hec a crepusculo iacuit quasi exultans et signa eximie devotionis ostendens usque ad primum galli cantum et tunc dixit: Ecce instat hora, qua virgo peperit. Deinde sibi omnes assidentes devotissime deo commendans quasi suaviter obdormiendo expiravit. Monachi vero Cisterciensis ordinis et alii multi religiosi obitum eius percipientes de omni confinio ad hospitale, in  
 15 quo sepelienda erat, conveniebant. Unde poscente populi devotione usque ad IIII. feriam sequentem intumulata permansit, nullum indubitanter habens mortis signum, nisi quod pallebat, quia corpus eius adeo molle extitit quasi viveret et valde bene redolebat. Proxima vero die post eius sepulturam statim dominus incepit operari per suam ancillam, nam quidam monachus ordinis Cisterciensis ad eius sepulchrum a quodam morbo mentali,  
 20 quem plus quam XL annis habuerat, curatus est, et hoc iuravit me presente et plebano de Marpurg. Datum xvi. kal. decembris, anno etatis sue xxv.

## 477.

*Papst Gregor IX. gestattet der Markgräfin Jutta von Meissen, wenn das Land ihres zweiten Gemahls, des Grafen Poppo von Henneberg, mit dem Interdikt belegt werde, die mit leiser Stimme  
 25 gesungene Messe zu hören. Anagni, 1232 Dez. 8.*

*Hdschr.: Reg. No. 16 fol. 58 No. 194. Vatikan. Archiv.*

*Gedr.: Mon. Germ. Epp. Pont. 1,401.*

Nobili mulieri I[utte] marchionisse Misnensi. Devotionis tue precibus inclinati, ut si terram nobilis viri B[opponis] burcravii viri tui ob culpam ipsius supponi contigerit ecclesistico interdicto, liceat tibi per clericos locorum ad te dotis ratione spectantium interdicto  
 30 durante summissa voce, excommunicatis et interdictis exclusis, audire divina, dum tamen causam interdicto non dederis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Anagnie vi. id. decembris, anno sexto.